IN

EDITIONEM VERE PRINCIPEM

SNORRONIS STURLÆSONII

SUMT. OPT. PRINCIP. FACT.

CURA

G. SCHÖNNINGII

HOC

PLAUDENS POSUIT

G. PAULI.

Bene quidem satis, siquidem ita placuit editionis procuratori doctiss. cum ego Principalem scripsissem, extra reprehensionem (ut putabam) positum, quemadm. Paterculus principalem quietem appellat Julii Cæsaris quietem in Principatu, post longa exercita bella.

EX TYPOGRAPHEO HRAPSEYENSI
MDCCLXXVIII.

Prodit nunc tandem nitido velatus amictu
SNORRO, Norvegicæ *Livius Hiſtoriæ.*
Prodiit ante qvidem, ſed non ſic veſte decora,
Qvalem heic, FRIDERICO PRINCIPE dante, gerit.
PRINCIPIBUS placuiſſe Viris, non ultima laus eſt,
Horumqve ornari laudibus atqve bonis.
Regia laus Regum, Regumqve exempla ſeqventûm,
(Qvæ nunc FRIDERICI eſt) *Regia facta ſeqvi.*
Ornati qvondam fortes, docti atqve poëtæ
Veſtibus ~~atqve~~ auro, armis, navibus, Officiis.
Sic olim *Snorro* clarus, pulchreqve beatus,
Principibus placuit, donaqve promeruit.
Principibus Snorro placuit, ſed non ita multis,
Nec magis ad finem his omnibus uſqve ſatis.
Idem ſed doctis mire poſt fata placere
Cœpit, perqve iſtos mox qvoqve *Principibus:*
Qvorum nunc ſurgit Regnorum lumen amorqve,
FRIDERICUS, Boreæ gloria, gemma, decus.
Hic noſtrum *Hiſtoricum* præclaris veſtibus ornat,
Qveîs *Reges* deceat condecorare *ſuos.*
Regius hic ſumtus, qvæ munificentia vere eſt
Hiſtoriæ & Lingvæ gloria, fructus, amor.
PRINCIPIS hæc laus eſt, hæc Virtus, Gloria, Nomen,
Gentiſqve auctus amor, latior orbis amor.
Pluribus *Hôc Snorro* jam *Mæcenate* placebit
Præclariſqve Viris, *Principibuſqve Viris.*
Hunc talem ſiſtit PRINCEPS, hunc *Dania* nutrit,
Qvem *Rex* perſeqvitur, qvem patria interimit.
Heîc utinam *Snorro* jam nunc redivivus adeſſet,
Qvem ſolum heic fuerit gratia juſta penes.
Heic non *Snorro* animum *pictura paſcat inani,*
Rebus ſed veris, magnificiſqve ſimul:

Nec tacitus, circum aut densa caligine tectus,
Dulci sed coram carmine svavis olor:
Carmine, qvod Summis merito arrideret, & imis,
Qvodqve novo Auctorem mactet honore suum.
Interea nunc optarim mea Musa poëtas
Excitet in laudes PRINCIPIS ingenuas:
Qvorum haut spernenda est exhaustæ copia genti.
Qvo fato, Veterum, vix scio, relliqviæ.
Alta est fatorum series, qvam sera recludunt
Tempora clausa diu syrmate mirifico.
Hìc nobis satis esse qveunt encomia *Gentis*
Augustæ, & Lingvæ lumen, & Historiæ:
Omnibus observanda modis momenta, magisqve
Mercibus ex-celso semper habenda loco.
Verum hæc nunc tempus me linqvere verba poëtis,
Et cum PRINCIPIBUS *Te* qvoqve, *Snorro Pater!*
Hos nunc invises, inqve ampla palatia *Regum*
Ducêris, magno non sine honore, senex.
Hi Te convivam mensis adhibere superbis
Gaudebunt, capti dulcibus eloqviis.
Nornarum hic nunc Gestus eris, nunc Stufus in aula,
Nunc (qvod præcipuum est) *Snorrius* ipse clues.
Qvem juxta functum fortuna bonisqve malisqve
Nunqvam, aut relliqvias, candida destituet.
Nomine nunc tanto vivis, nunc omine tanto,
FRIDERICO vitam restituente Tibi.
Nec mage destituet sartum tectumqve volentes
Te, cum relliqviis, Optime *Snorro!* Tuis.
Vive diu felix, PRINCEPS! qvo Numine *Snorro*
Nunc vitam recipit vindice, Vive diu!
Sospes vive diu! vivat TUA Gloria *Snorro:*
Vivant TE Musæ sospite, Regna, TUI!